



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput VIII. Idem in Concilio a generali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

^a **B**ononiensis.) Ita etiam legitur in quarta col-

lectione, *sub hoc tit. cap. 2.* De Bononiensi Ecclesia egi *in cap. 17. de foro competens.* & textum hunc exposui supra *in cap. quia frustra.*

CAPUT VIII.

Idem in Concilio ^a generali.

Quanto amplius Christiana religio ab exactione compellitur usurarum, tanto gravius super his Judæorum perfidia insolescit, ita quod brevi tempore Christianorum exhauriuntur ^b facultates. Volentes igitur in hac parte prospicere Christianis, ne tenaciter aggraventur, synodali decreto statuimus, ut si de cætero quoquam prætatu Judæi à Christianis ^c graves, & immoderatas usuras extorserint, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter. Unde Christiani, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellantur ab eorum commerciis abstinere. Præcipimus autem, & injungimus, ut propter hoc non sint, ^d Christianis infesti, sed potius à tanto gravamine studeant prohibere Judæos: ac eadem pœna Judæos decernimus compellendos ad satisfaciendum Ecclesiis ^e pro decimis, & ^f oblationibus debitis, quæ Christiani de domibus aliis percipere consueverint antequam ad Judæos quoquo titulo devenissent, ut sic Ecclesiæ conserventur indemnes.

NOTÆ.

I. ^a **G**enerali.) Lateranensi videlicet celebrato sub Innoc. III. ubi *cap. 67.* reperitur textus hic, & in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. final.* de quo Concilio nonnulla notavi *in cap. 1. de summa Trinit.*

^b *Facultates.*) Ut variis exemplis, & rationibus probat Majolus *dier. canonic. colloq. 1. de perfid. Judæorum.*

^c *Graves immoderate (sve.)* Hæc verba exposui *in cap. post 12. hoc tit.*

2. ^d *Abstinere.*) Et ita excommunicatio hæc non

in ipsos Judæos, sed potius in Christianos cum eis communicantes imponitur, juxta tradita *in cap. 2. de Judeis.*

^e *Decimis.*) Hanc partem de decimis prædialibus solvendis à Judæis, exposui *in cap. de terris, de decimis.*

^f *Oblationibus.*) Quas ex præcepto Catholici plerunque facere tenentur ut probavi *in can. 28. Concilii Illiber.* Unde cum ratione prædii, vel domus Christiani oblationes faciunt pro alimonia parochi, etiam Judæi in eis domibus commorantes, tanquam ad debitum reale tenentur oblationes facere, juxta tradita *in dist. cap. de terris.*

CAPUT IX.

Gregorius IX. ^a Fratri R.

Naviganti, vel eunti ad ^b nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscepit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius non est censendus. ^c Ille quoque qui dat X. solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licet tunc plus valeant, utrum plus, vel minus solutionis tempore fuerint valitura, verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari. Ratione ^d hujus dubii etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, & alias merces vendit, ut amplius, quàm tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem: si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.

NOTÆ.

I. ^a **F**ratri R.) Ita legitur in hac sexta collectione; & cum Registro epistolarum Greg. IX. eareamus, agnoscere non possumus cui fratri R. in præsentem rescribatur.

^b *Nundinas.*) Nundinæ quasi Novendinæ, à non odie dictæ sunt, eo quod nonis quibusque diebus plebs in urbem conveniret emendi, vendendique causâ. Columella *lib. 1. de re rustic.* Macrobius *lib. 1. satur. cap. 16.* Illustrat earum originem repetens Gibalinus *de negot. rom. 1. lib. 2. cap. 3. art. 2.* Nundinæ ergo sunt publici mercatus, quo-

rum libertas in eo cernitur, tum ne conveniantur nundinatores alicujus debiti causâ, *l. unic. Cod. de nund.* tum ne vectigalibus onerentur, *l. 1. Cod. de veteranis, novel. Valentin. & Marc. de siliquar. exalt.* Nundinas aliquo in loco ponere sine Principis, vel Senatus autoritate jure civili non licebat, *l. 1. de nundinis:* & à Senatu hoc jus plerumque impetrari testis est Plinius *in epist. ad Valerianum, lib. 5. epist. 4.* Solers vir Prætorius à Senatu petiit, ut sibi institueret in agris suis nundinas permitteretur. Atque ita Claudium Imperatorem, et si legibus solutum, jus nundinarum in sua prædia à Consulibus petiisse, refert Tranquil. *in Claudio.*

cap. 12.